



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

96. An contra incendiarios sit lata aliqua censura? Et an sufficiat, ut dicta denunciatio fiat Edicto generali, vel an ab Episcopo sint excommunicandi; & si postea denunciarentur tunc talis ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

nialium, cum licentia Superioris oretenus concessa, & hoc ex Concilio Tridentino sess. 25. de Regul. cap. 5. ibi, *sine Episcopo, aut Superioris licentia in scriptis obtemperat.*

2. Verum non desunt DD. negativam sententiam tenentes, ut Homobonus de Bonis *tr. de censur. reservatis*, p. 2. cap. 5. & Petrus Belluchius in *praxi Theol. mor. par. 2. q. 9. n. 162.* ubi sic ait. Licet licentia ad ingrediendum septa Monasterij per decretum Concilij Trident. in scriptis obtemperat requiratur, hoc quoad forum exterius intelligitur; nam in interiori animæ foro, in quo veritas attenditur, sufficit ut consensus iure naturali requisitus interveniat. Ita ille, qui citat Innocentium. Abbatem, & Felinum.

3. Notandum est tamen, quod etiam stando in prima opinione licentia in scriptis non requiritur semper in casibus ordinariis, puta quoad Medicos, Chirurgos, carpentarios, cœmentarios, & alios similes operarios, quorum opera passim indigent Moniales, sed pro his licet Abbatibus dare licentiam, ex præscripta interpretativa voluntate Superioris, vel ad maiorem cautelam Superior hanc generalem facultatem potest in scriptis committere Abbatibus, vel Monialium Confessariis pro similibus casibus. Et ita ex multis docet Hieronymus Rodriquez in *compend. q. 9. Regul. resol. 26. n. 8.* & Villalobos in *summ. tom. 2. tr. 35. diff. 46. n. 4.* & nota etiam contra Grassium in *dec. par. 1. lib. 4. c. 23. n. 6.* & alios, quod licentia data ad concedendam facultatem ingrediendi Monasteria non debet necessario esse in scriptis, sed sufficit, ut sit oretenus concessa; nam Concilium loquitur de licentia ingrediendi tantum, non autem de licentia ad concedendam facultatem ingrediendi.

RESOL. XCIV.

An cessante excommunicatione Papali cesset etiam Episcopalis? Ex part. 5. tr. 9. Resol. 70.

§. 1. **N**egativè videtur respondendum per ea, quæ adducit Grassius *decis. aur. par. 1. lib. 1. cap. 13. n. 62.* ubi sic ait: Annотandum est quod si Summus Pontifex super aliquo incidenti excommunicationem ferat, & super eodem Episcopus alia excommunicationem subsequatur; si Summus Pontifex suam excommunicationem abstulerit, legitima causa superveniente, non censetur de iure Episcopalis excommunicatio sublata, quia quando sunt duo impedimenta, uno sublato alterum non tollitur, arg. c. ex tuarum, de auct. & us. pall. l. si domus ff. de servit. urb. præd. unde non poterit de iure quilibet Sacerdos proprius absolvere. Ita Grassius. Et post illum docet etiam Aloysius Barriola in *Aphorism. litera E. ver. excommunicatio*, §. 13. Sed ibi observant contrarium in praxi servari, ut etiam observat Ragucius in *Lucerna Parochorum, tit. de Absolutione, quest. 133. n. 2.* & ideo Naldus in *summa verb. Episcopus*, n. 8. sic ait. Episcopali censura concurrente cum Papali, id est, quod idem peccatum censuræ subdatur per Papam & Episcopum, tunc si Papalis tollitur, usu communi interpretari dicitur, ut etiam Episcopalis reservatio sublata censetur. Ita ille, & ego.

RESOL. XCV.

An Episcopi possint excommunicare Inquisitores, & e contra Inquisitores Episcopos? Ex part. 5. tract. 9. Resol. 51.

Sup. hoc inf. §. 1. **C**asus est practicabilis, & accedit in hoc Regno annis non multis elapsis. Aliqui negat,

affirmant alij, ut observat Trimarch. de *Confess. fol. 114. v. 1. c. 1. disp. 8. sect. 3. n. 37.* Sed Megalius negativè sententia adheret in 3. lib. 1. c. 3. q. 2. n. 43. ubi sic ait. Nec Episcopi ab Inquisitoribus ligari censuris possunt, quatenus sit ipsis Inquisitoribus generaliter prohibitum mactare contra Episcopos procedant, c. Inquisitores, de hæret. in 6. Nec ipse Episcopus hanc jurisdictionem habet contra ipsos Inquisitores, cum sint Officiales Summi Pontificis, qui censuris ligari non possunt, ut in d. Extravag. cum Mathæu. Ita ille. Verum Ddæus Cantero in *q. Crimin. cap. 1. de hæret. n. 69.* testatur Inquisitorem Consequens excommunicasse Episcopum ejusdem civitatis.

RESOL. XCVI.

An contra incendiarios sit lata aliqua censura? Et an sufficiat, ut dicta denunciatio fiat Edicto generali, vel an ab Episcopo sint excommunicandi, & si postea denuncientur, tunc talis excommunicatio sit Papalis, servata?
Et difficultas adhuc superest, an Episcopi teneantur sub aliqua pena contra incendiarios excommunicationem ferre? Ex part. 9. tr. 8. & Milc. 3. Resol. 10.

§. 1. **Q**uicquid asserat Bonacina de *censuris*, tom. 3. disp. 2. quest. 3. punct. 4. n. 1. ego cum communi sententia Doctorum existimo, nullam esse in iure latam excommunicationem ipso facto contra incendiarios. Ita docent Eminentissimi Cardinales Cajetanus, & Toletus, ille in *summa*, cap. 22. hic lib. 1. cap. 35. num. 5. cum Navarro in *Man. cap. 2. n. 74.* Suarez de *censur. disp. 2. sect. 2. n. 19.* Filiucio tom. 1. tr. 15. cap. 2. q. 5. num. 52. Avila de *censur. par. 2. cap. 7. disp. 1. dub. 9.* Gambartia de *censur. cap. 6. n. 4.* Emmanuel Sà verb. *Excomm. Papa refero*, n. 7. Sayrus de *censur. lib. 3. cap. 29. n. 8.* Megala tom. 4. lib. 4. c. 6. n. 7. Homobono de *consul. cas. consuet. vol. 1. par. 1. resp. 53.* Leone de *censur. collect. 4. verb. Incendiarj*, & ex Iuriconsultis hoc etiam observavit Barbæus in *Plat. rio Iuris*, par. 1. tr. 22. n. 6.

2. Dicendum est itaque, incendiarios nullam ipso facto excommunicationem incurere, sed esse quidem ab Episcopis excommunicandos: & si postea denuncientur, tunc talis excommunicatio erit Papæ reservata, ut patet ex cap. *Tua nos de sentent. excomm.* Et hic casus, ut bene observat Cominch de *Sacram. disp. 13. dub. 5. n. 37.* in quo aliqui potest ligare, & non solvere. Quod etiam notant omnes DD. superius citati, dicta verò denunciatio an sufficiat fieri edicto generali, discrepant Doctores: nam affirmat Suarez *ubi supra*, num. 18. Bonacina n. 6. & Filiucius num. 54. Sed negat Megala num. 10. Sayrus num. 12. Et hanc sententiam esse magis communem testatur nominatim contra Suarez, Patet Turrianus de *censur. lib. 3. disp. 30. dub. 2.* & Thesaurus in *Praxi de penis*, par. 2. verb. *Incendiarj*, cap. 1. Itaque secundum sententiam horum Doctorum, ut excommunicatio contra incendiarios lata, sit Papæ reservata, non sufficit; latam esse per edictum generale, sed faciendâ est ab Episcopo expressis nominibus incendiariorum.

3. Verum difficultas est, an Episcopi teneantur sub aliqua pena contra incendiarios excommunicationem ferre? Et affirmativè respondeo, sub pena suspensionis per annum à pontificalibus, ut patet ex cap. *Personam*, 2. q. 8. Nec valet dicere, cum Patre Thesaurio in *Praxi de penis*, par. 2. verb. *Incendiarj*, cap. 2. dictam suspensionem non esse usum receptam: nam nominatim contra ipsum insurgit Pater Leone de *censur. collect. 6. verb. Episcopus*, n. 359. cui adde Castrum Palatum tom. 6. disp.

diff. 4. punct. 10. §. 5. num. 11. & Bonacinam de censur. tom. 3. diff. 3. §. 5. punct. 9. afferentes quidem, poenitentiam in dict. cap. *Peccatum*, contra incendiarios impositam servendi Ierosolymis, vel in Hispania, non esse receptam: sed hoc minimè asserunt de suspensione contra Episcopos latam, si incendiarios non excommunicant. Quod etiam patet ex aliis Doctoribus, qui de hac suspensione mentionem faciunt, ut est Filliucius tom. 1. tract. 27. cap. 8. n. 159. Sayrus de censur. lib. 4. cap. 12. n. 44. Barbosa de potestate Episcop. part. 3. allegat. 11. num. 23. Honorius in Compend. l. v. can. lib. 5. tit. 17. n. 9. & 10. Machadus de perf. Confess. tom. 1. lib. 1. part. 3. tract. 11. docum. 6. n. 22. Ballaeus in Floribus Theolog. verb. *Suspensio*, 4. n. 7. Megala tom. 4. lib. 5. cap. 4. quast. 5. num. 8. Pramolus in Catalogo Suspensionum, cap. 1. num. 19. in fine, *Man. Clericorum*. Non est igitur admittenda opinio Patris Thelauri.

RESOL. XC VII.

An Episcopus possit excommunicare subditum committentem delictum in Monasterio Regularium existente in sua Diocesi?

Et an Religiosi ubique terrarum possint alias Superioribus ligari censuris, sive annexis statuto perpetuo, sive precepto? Ex part. 5. tract. 9. Ref. 66.

Respondent aliqui quòd licet qui commisit delictum juxta proprii Episcopi Diocesim, in loco tamen exempto, non possit ab Episcopo excommunicari, quia locus extra Diocesim, & locus exemptus intra illam, æquiparantur, quantum ad hoc, quod est non posse Episcopum in eo jurisdictionem exercere, ut habetur in cap. cum Episcopus de officio ordinarii in 6. cap. 1. de privileg. eodem cap. luminoso 18. quast. 2. in Clemen. Archiepiscopo, de privilegiis. Nomine autem loci exempti intelligendum est oppidum, aut Parochia, quæ sunt alterius jurisdictionis Ecclesiasticæ, nec satis est quòd exemptus sit præcisè ratione personarum, ut sunt Monasteria Religiosorum, quia subditi Episcopi, qui intra ea Episcopi statuta violarent, reuera censuram incurrerent, quia locus ille exemptus non est nisi præcisè quantum ad Religiosorum personas, & ita docet Cornejo in 3. p. tract. 5. de cens. in gen. diff. 6. dub. 2. Naldus in sum. verb. exemptio, n. 5. & novissimè Gordonus in sum. tom. 2. lib. 7. q. 2. cap. 3. §. 3. num. 35. Vnde Hurtado de cens. in comm. diff. 8. n. 33. sic ait: Nomine loci exempti quoad hunc effectum intelligitur locus exemptus ratione sui, ut sunt Abbatiæ aliquæ, & prioratus aliqui, & non intelliguntur Monasteria Religiosorum, ut contra Henriquez & Avilam docent Suarez diff. 5. sect. 4. & Egidius disputat. 13. dub. 7. quia locus Monasterij non est exemptus, sed tantum Religiosi ipsi, qui non ratione loci, sed ratione sui sunt subditi suis Prælati Religiosis, sicut filij parentibus, & uxor marito, & ideo ubique terrarum possunt à suis Superioribus ligari censuris, sive annexis statuto perpetuo, sive precepto, ut advertit Egidius n. 64. quod intelligimus de censuris annexis statuto totius Religionis, & præceptis Provincialibus, quoad Provinciales verò, & Superiores immediatos domorum, standum est legibus & consuetudini Religionum. Ita Hurtado.

2. Sed contrariam sententiam ego teneo, quam præter Henriquez & Avilam, tenet etiam Marcellus Vulpes in praxi fore Eccles. cap. 1. n. 32. & novissimè ex Societate Iesu Theophylus Raynudus in tract. de minor. part. 1. cap. 1. q. 9. ubi sic ait: Hoc aliqui restringunt ad locum plene exemptum, qualia aiunt esse, non Monasteria & Ecclesias Regularium exempto-

Tono. V.

rum, sed oppida exempta, aut paræcias quasdam à jurisdictione Episcoporum subductas. Non video tamen quam disparitatem asserere possint quæ ad rem faciat, aut cur domos exemptas potius, quam oppida, aut paræcias velint esse diversæ, & deteriores conditionis hac in parte. Similiterque non video cur Ancharanus in cap. ut animarum, de constit. in 6. subscribente, ut videtur, S. Antonino part. 3. tit. 24. cap. 75. §. 1. id quod diximus restringi voluerit ad locum exemptum, cujus Prælatus ex forma privilegiij habeat in eo loco jurisdictionem Episcopalem, hoc, inquam, non video quanto jure dicatur. Nam quomodo libet se habeat Prælatus loci exempti (quod ad rem præsentem non videtur pertinere) dummodò locus ipse plene exemptus sit à jurisdictione illius Episcopi intra cujus diocesim materialiter clauditur, militat semper eadem ratio, ut qui in eo deliquit, non ligetur talis Episcopi monitorio. Quare eodem planè modo philosophandum videtur de monitorio lato ob culpam in loco exempto admittam, quicumque demum is locus sit & quomodocumque se habeat ejus Prælatus, ac de monitorio lato ob culpam admittam extra Diocesim materialiter sumptam. Hæc omnia Raynaudus, unde hanc sententiam tutò in praxi sequi poterimus.

RESOL. XC VIII.

An Episcopus possit citare subditum suum existentem in aliena Diocesi?

Et an Episcopus possit jurisdictionem contentiosam exercere extra Diocesim, quando causæ cognitio non vertitur, & effectus conferuntur in suam Diocesim?

Et negatur posse Episcopum sententiam excommunicationis ferre contra subditum suum, existentem tamen in alieno territorio, etiam præ delicto commissio in suo territorio.

Et quid dicendum est, quando ad sit privilegium, vel per consuetudinem, an possit in alieno territorio suos subditos citare, & in eos jurisdictionem exercere?

Et an Prælati Regulares respectu suorum subditorum Regularium censentur habere totum mundum pro territorio, ita ut possint exercere jurisdictionem, & capere suos subditos in quocumque territorio sint, etiam non implorato brachio judicis secularis, vel Episcopi?

Et an hoc locum habeat, ubi Prælati Regulares jurisdictionem cum territorio habeant? Ex part. 5. tract. 9. Refol. 34.

Affirmativa sententia suaderi potest. Primò, ex doctrina Bartoli in l. 1. §. 1. n. 3. ff. de requirendis reis, Cyni, Pauli Castrensis, Angeli, Alexandri, & aliorum penes Carnevalium tom. 1. de judiciis, lib. 1. tit. 1. disp. 2. n. 20. afferentium, quòd quando duo territoria subsunt uni Superiori, tunc unius judex potest, citare in territorio alterius, quia, in tali casu Princeps Superior videtur permittere & auctoritatem præbere, ut judex citet in alieno territorio; sed omnes Episcopi subsunt eidem Superiori, nempe Summo Pontifici, ergo videtur, ut in terminis observat Sigismundus Scaccia de judiciis, &c. lib. 1. cap. 43. n. 4. quòd unus Episcopus potest citare subditum in Diocesi alterius Episcopi.

2. Secundo, & hoc est validissimum argumentum, citatio non est actus judicialis, ergo potest ab Episcopo exerceri in aliena Diocesi. Ita ex Iuriconsultis docet Abbas in cap. licet, n. 41. de foro compet. Boscius tit. de citatione, n. 20. Choxier de Jurisd. part. 4. q. 109. num. 10. Ancharanus in cap. cum contingat, num. 41. de foro compet. & ex Theologis Paulus Layman in Theolog. moral. lib. 1. tract. 4. cap. 4. num. 7. ubi sic ait:

F 3 Sic